Oldesworthio
Secretario.
Comitis Pembrotii.
S. P.

(76).

Valde tibi debeo Oldisworthi humanissime, quod hominem enterum sed ~~fam~~ popularem meum tantâ statim hospitalitate dignatus sis. Scimus Batavi, quantus Barlæus sit. At postquam is in Angliâ esse cœpit, ut Ætonio, Seldeno, Johassenio et imprimis tibi placeat parum viri meritis detulisse videmur. Interea referendis gratiis, quas Illmo Comiti, tibique debere me agnosco, nimis me imparem arbitratus, ipsius calamum admovendum censui, quo binas hasce quas addidi literas promtius effudisse miratus sum, quam tuas perlegisse credebatur, quas eodem die a me missas, illicò remisit. Totus totus eruditio est, ac mihi paucos antehâc, vidisse contigit, qui tantâ latinæ dictionis facilitate excellerent. Tu si quid insignem encomiasten liberalitate regiâ meritum existimas, tuæ id omne curæ atque humanitati commissum scito, eidemque imprimis acceptum a me ~~fuit~~ ferri, quantum promissis eâ de re hactenus beatus fuit: Vale Mi Oldesworthi, et me ama tui præamantem.

Hagæ. Postridiè Cal: Junij 1626. febricitans, quo te calamo negligentiori ut ignoscas rogo.

C. Hugenius.

G: Barlæo.

(78).

Gratias tibi pro munere magnas ago. nec pro munusculo minores: quando semel ita statui, nihil nisi magnum a te proficisci, etiam cum te Laconismo includis, et amplissimum ingenium tuum paucis versibus. Itaque et Italiæ tuæ, cujus lustrandæ per bibliopegum copia nondum facta est, jam nunc sic subscribo, ac si tua sit; quo solo encomio modestiæ illi tuæ gravis esse in posterum decrevi. postquam stupore quotidiè nono obruere nos non desinis, ac de perculsis mutos aliquando is redditum. Jachæi multo stupuit facundia luctu, nisi quod benignius pronunciandum est, linguam Tacitus arguisset. Mihi Logicum idioma sapere videtur, arida oratio, brevis illa certè, sed parum succincta quod succulento vero minitere, culpabis ωαῤῥησίαν hominis illiterati At ego ne ~~quidem~~ in hâc splendidâ quidem servitute quam servio, raram foelicitatem puto, Sentire quæ velis, quæ sentias dicere, apud amicum nullo non sæculo licuit. Vale Vir Doctissime, et me ama.

Hagæ: 18 Dec: 1626

Valde Tuus.
C. Hugenius.

Barlæo.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 18v
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/319